Haec igitur maxime causa fuit. quur relicto aurium iudicio pythagoras ad regularum momenta
migraverit, qui nullis humanis auribus credens. quae partim natura partim etiam extrinsecus
accidentibus permutantur. partim ipsis variantur aetatibus; nullis etiam deditus instrumentis.
penes quae saepe multa varietas atque inconstantia nasceretur. dum nunc quidem si nervos velis aspi
cere. vel humidior pulsus obtunderet, vel siccior excitaret. vel magnitudo corde graviorem
redderet sonum. vel acumen subtilior tenuaret. talium quodam modo statum prioris constantiae
permutaret. et cum idem esset in caeteris instrumentis. omnia haec inconsulta minimeque
estimans fidei diuque aestuans inquirebat quanam ratione firmiter et constanter consonantiarum
momenta perdisceret; Cum interea divino quodam nutu praeteriens fabrorum officinas pulsos malleos
exaudit. ex diversis sonis unam quodammodo concinentiam personare, Ita igitur ad id quod diu
inquirebat adtonitus accessit ad opus; diuque considerans. arbitratus est. diversitatem sonorum.
ferientium vires efficere; atque ut id apertius colliqueret mutare inter se malleos imperavit;
Sed sonorum proprietas non in hominum lacertis herebat. sed mutatos malleos comitabatur;
Ubi id igitur animadvertit. malleorum pondus examinat. Et cum quinque essent forte mallei
dupli reperti sunt pondere qui sibi secundum diapason consonantiam respondebant,
Eundem etiam qui duplus esset alio sesquitertium alterius comprahendit. ad quem scilicet
diatessaron sonabat; ad alium vero quendam. qui eidem diapente consonantia iungebatur.
Eundem superioris duplum repperit esse sesqualterum; Duo vero hi ad quos superior duplex. sesqui
tertius. et sesqualter esse probatus est ad se invicem. sesquioctava. proportione perpensi sunt custodire;
Quintus vero est reiectus. qui cunctis erat inconsonans, Cum igitur ante pythagoram consonan
tiae musicae. partim diapason. partim diapente. partim diatessaron. quae est consonan
tia minima vocarentur. primus phitagoras hoc modo repperit. qua proportione sibimet.
haec sonorum concordia iungeretur; Et ut sit clarius quod dictum est. Sint verbi gratia malle
orum quattuor pondera. quae subter scriptis numeris contineantur; XII. VIIII. VIII. VI.
Hi igitur mallei. qui XII. et VI. ponderibus vergebant diapason in duplo continentiam personabant;
Malleus vero XII. ponderum ad malleum VIIII. et malleus octo ponderum ad
malleum VI ponderum. secundum epitritam proportionem diatesseron consonantia
iungebatur; VIIII. vero ponderum ad VI. et XII ad VIII. diapente consonantiam
permiscebant; VIIII. vero ad octo. in sesquioctava proportione resonabant
tonum;

QUIBUS MODIS VARIE A PYTHAGORA PROPORTIONES CONSO
NANTIARUM PERPENSE SINT.

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. 32 – Boetii geometria et musica
(http://www.e-codices.ch/fr/sbe/0298/32)